



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 41. Difficultates contra Canones a Granatensi Archiepiscopo propositæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.  
se obtulisset in Sacrificium Patri sub specie panis, & vini, sed quo genere oblationis, seu sacrificii id factum fuerit, haud exprimebant: itaque Decreta doctrinæ, & Canones illis respondentes ad conventum generalem septima Septembris die delata fuere.

## §. XLI.

*Difficultates contra Canones a Granatensi Archiepiscopo propositæ.*

*Paltav. c. 5.*  
*n. 5. 6. & 7.*  
Verum Granatensis Archiepiscopus, qui Sociorum suorum opinioni semper adversabatur, hujus conventus tranquillitatem turbabat proluxa sua oratione, qua improbabat tertium Canonem, qui nunc secundus est, ubi definitur, collatum fuisse Apostolis a Christo Sacerdotium in ultima cœna verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Porro hic Præsul afferebat in medium pro sententia opposita testimonium Nicolai Cabasilæ, qui in libro primo de Missæ Sacrificio opinatus est hujusmodi potestatem fuisse Apostolis traditam die Pentecostes: allegabat insuper S. Germanum, Hesichium Presbyterum in libro primo Commentariorum super Leviticum, & Richardum Armacanum, qui arbitrabatur, quod Apostolis eo ipso tempore, quo fuerant constituti Apostoli, etiam Sacerdotium colla-

collatum fuerit : quam in rem citabat S. **Sæcul. XVI.**  
 Thomam, & Scotum, qui putat, quod qui **A. C. 1562.**  
 dem re ipsa in ultima cœna consecrandi  
 potestatem obtinuerint, executio illius  
 autem ipsis primum fuerit concessa, post-  
 quam Spiritum Sanctum acceperant,  
 prout in vigesimo S. Joan. capite legitur:  
 denique tot rationes agglomerabat, ut  
 non parum dubitationis Patribus injece-  
 rit, an non protrahendum esset doctrinæ  
 examen, adeoque necesse foret Sessio-  
 nem differre: sed exitus spem prosperi-  
 tatis superabat: cum enim Patrum per-  
 pauci huic Archiepiscopo consensissent,  
 Decreta hanc quæstionem concernentia  
 unanimi ferme consensu in quadam con-  
 gregatione mane habita fuere compro-  
 bata: dum igitur pronuntiatum esset,  
 quod Missæ Sacrificium non solum pro  
 peccatis, sed etiam pro aliis fidelium ne-  
 cessitatibus offerri posset, postremis hi-  
 sce verbis Aiala Segobienlis Episcopus  
 sese opponens objecit, quod inde argu-  
 mentum præberetur variis superstitio-  
 nibus, quam in sententiam ivere Pa-  
 trum viginti quinque: cum autem ma-  
 jor Patrum pars illis adversaretur, hinc  
 cedere, ac tandem acquiescere coge-  
 rantur. Altera die Granatensis Archi-  
 episcopus unacum Bartholomæo de  
 Martyribus Archiepiscopo Braccaren-  
 si, & cum Episcopis Segoviensi, & Al-  
 meriensi,

T 5

meriensi,

Sæcul. XVI. meriensi, Legatos adiit, causatus  
 A.C. 1562. que, se circa canonem de institutio-  
ne Sacerdotum conscientia stimulis  
 agitari, hæc exposuit: „ Mihi, ac sociis  
 „ meis Canon ille de Sacerdotum institu-  
 „ tione probari non potest; nec enim  
 „ ea res agitata fuit in inferiorum Theo-  
 „ logorum conventibus, nec in confes-  
 „ sibus Patrum, sed solum levi manu  
 „ tractata: insuper aliquot non modice  
 „ existimationis Præsules dissentiunt  
 „ quem dissensum in Sessione palam fie-  
 „ ri par non erat: quapropter satis  
 „ esse videtur, articulum illum in pro-  
 „ ximam Sessionem rejici, ubi dogmata  
 „ de Ordinis Sacramento stabilirentur,  
 „ tanquam ad locum magis proprium,  
 „ tempusque magis opportunum, quo  
 „ præmissis studio, ac re consentanea  
 „ trutinata definitio cum mutuo con-  
 „ sensu, & honore concordia conciliari  
 „ posset.

Verum Legati ad hæc respondebant,  
 se morem illis gesturos, dummodo quæ-  
 sitæ Canonis variationi generalis Pa-  
 trum consensus præiret, sine quo penes  
 Legatos non esset quidquam in rebus  
 jam unanimi suffragio decretis mutare:  
 attamen horum Præsulum objectiones  
 postmodum flocci habitæ videntur.